An. et vol. XXXXIII 15 Novembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

BX
850
.A3
STORAGE

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: In sollemni canonizatione Beatorum Antonii M. Gianelli, Francisci Xaverii M. Bianchi et Ignatii a Laconi, p. 753 – Litterae Decretales, p. 758 – Epistula Apostolica, p. 768 – Litterae Apostolicae, p. 772 – Epistulae, p. 775 – Allocutiones, p. 784 – Nuntii radiophonici, p. 795.

Acta SS. Congregationum: *S. C. de Religiosis:* Decretum, p. 806 – *S. C. de Propaganda Fide:* Decreta, p. 808.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 810-816.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 16 – 15 Novembris 1951)

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE
BB. ANTONII M. GIANELLI
FRANCISCI XAVERII M. BIANCHI
ET IGNATII A LACONI
(21 Octobris 1951)

PAG.

Proclamatio 753
Homilia 754

LITTERAE DECRETALES

Episcopos. – Beato Vincentio Mariae Strambi, Confessori Pontifici, Sanctorum honores decernuntur. – 11 Iunii 1950 758

EPISTULA APOSTOLICA

Impensiore caritate. – Ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, et ad dilectos Filios e Cleri Laicorumque Ordine Cecoslovacae Reipublicae pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. – 28 Octobris 1951 768

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Cives Zamorenses.* – Beata Maria Virgo ab Immaculata Conceptione Civitatis Zamorensis in Mexico Praecipua Patrona Caelestis declaratur. – 28 Octobris 1949 772

II. *In gregem.* – Internuntiatura Apostolica in Liberiana Republica constituitur. – 12 Iulii 1951 774

EPISTULAE

I. *Cum iam lustri.* – Ad Exc̃mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos locorumque Ordinarios Poloniae pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. – 1 Septembris 1951. . 775

II. *Five years.* – Ad Em̃um P. D. Samuelem S. R. E. Presb. Cardinalem Stritch, Archiepiscopum Chicagiensem, Praesidem conventus IX nationalis de institutione catechetica. – 14 Septembris 1951 778

III. *Proximo Octobri.* – Ad Em̃um P. D. Fridericum, Episcopum Tusculanum, S. R. E. Cardinalem Tedeschini, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae Prafectum eundemque Summi Pontificis Datarium, Legatum delectum ad sacra sollemnia in Lusitania ad Simulacrum B. Virginis Mariae de Fatima celebranda. – 24 Septembris 1951 780

IV. *Peculiari semper.* – Ad Exc̃um P. D. Iosephum Fietta, Archiepiscopum Tit. Sardicensem, Nuntium Apostolicum in Argentina, quintum et vicesimum Episcopatus annum fauste celebraturum. – 25 Septembris 1951 781

V. *Accepimus perlibenter.* – Ad Em̃um P. D. Iosephum M. Tit. Sanctae Mariae Scalaris S. R. E. Presb. Cardinalem Caro Rodríguez, Archiepiscopum Sancti Iacobi in Chile, quem Legatum eligit ad decimum Conventum Eucharisticum e tota Chilensi Natione in civitate Vallis Paradisi ineundum. – 26 Septembris 1951 . . 782

ALLOCUTIONES

I. Iis qui Romae adfuerunt Conventui universali de catholico laicorum apostolatu. – 14 Octobris 1951 . . . 784

II. Ad Legatum Hispaniae. – 13 Novembris 1951 792

NUNTII RADIOPHONICI

I. Christifidelibus ob Conventum Eucharisticum Nationalem e tota Helvetia in urbe Einsiedeln coadunatis. – 30 Septembris 1951 795

II. Christifidelibus ob sollemnia Eucharistica e tota Insula Madagascar in urbe Tananarive coadunatis. – 30 Septembris 1951 797

III. Christifidelibus, post Congressum Marialem ex omnibus Nationibus Ulyssipone in Lusitania habitum, ob Sacra Sollemnia in honorem Ipsius B. Mariae V. in Sanctuario Fatimano coadunatis. – 13 Octobris 1951 . 800

IV. Christifidelibus, ob decimum Conventum Eucharisticum e tota Chilena Natione, in civitate Vallis Paradisi coadunatis. – 14 Octobris 1951 . 802

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

Decretum. – 23 Octobris 1951 806

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Decretum. – 7 Iunii 1951 808

II. Decretum. – 14 Iunii 1951 . . . 809

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 810

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 810

An. et vol. XXXXIII 15 Novembris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATORUM CAELITUM ANTONII M. GIANELLI EPISCOPI BOBIENSIS, FRANCISCI XAVERII M. BIANCHI SACERDOTIS E CONGREGATIONE CLERICORUM REGULARIUM A S. PAULO ET IGNATII A LACONI EX ORDINE FRATRUM MINORUM CAPULATORUM, IN BASILICA VATICANA DIE XXI MENSIS OCTOBRIS, A. MDCCCCLI PERACTA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime *factam, per Advocatos Sacri Consistorii a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Pro-Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, Secretarius Litterarum ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, haec respondit*:

Summo mihi honori est summoque gaudio nuntiare omnibus, quotquot vel praesentes hac in amplissima rerum maiestate venerabundi audiunt, vel absentes radiophonicae artis ope auscultant, Pontificem Maximum decretorium oraculum falli nescium editurum esse. Universa laetetur Ecclesia his fulgentibus ornata luminibus; omnesque nova haec sanctitatis exempla imitanda sibi proponant.

Tum vero Summus Pontifex, sedens, ex Cathedra Divi Petri sollemniter pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum,

auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatos Confessores Antonium Mariam Gianelli, Franciscum Xaverium Mariam Bianchi et Ignatium a Laconi Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus; statuentes illorum memoriam quolibet anno die eorum natali, Antonium nempe die septima iunii inter Sanctos Pontifices et Confessores, Franciscum die trigesima prima ianuarii et Ignatium die undecima maii inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tri et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti.

Ante Missam haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii,

Laetamur admodum quod hodie Nobis licuit ad summos evehere sanctitatis honores tres Beatos Caelites; qui quidem, etsi ordinis dignitate et muneris perfunctione multum inter se differunt, eadem tamen gloria defutura numquam refulgent.

Iuvat autem heic preclara uniuscuiusque ornamenta animi in sua luce proponere, ut omnes ad eorum vestigiis alacri nisu insistendum suavissime alliciantur.

Antonius Maria Gianelli indolem a natura sortitus bonam ita divinae gratiae muneribus aluit, ita doctrina virtuteque excoluit, ut inde a iuvenili aetate portendere videretur ad quem foret sanctitudinis apicem perventurus, et quam opimos, quam salutares esset editurus fructus. Sacerdotio initiatus, per diuturnum annorum spatium sacrorum alumnos, in spem Ecclesiae succrescentes, qua praeceptor, qua moderator instituendos suscepit, eisdemque plus quam magisterii auctoritate, sancti-

moniae exemplo praeluxit. Deinde vero amplissimae paroeciae in Clavarensi urbe praepositus, in animorum salute procuranda totus fuit; ac pro effusa eius in indigentes, in aerumnosos aegrotantesque caritate communis pater, pro eius autem indefessa stenuaque navitate « homo ferreus » dicebatur. Cum ei autem subinde, episcopali dignitate aucto, latior pateret laboris campus, non modo necessaria virtute ac sapientia praeditum se praestitit, sed agendarum etiam rerum prudentia, quam experiundo acquisierat. Adulescentem clerum pietate ac disciplina recte conformare; suos sacerdotes regere, moderari atque ad omne opus bonum salutariter alacriterque excitare; sacras ad populum expeditiones, quae missiones vocantur, vel ipsemet suscipere, vel aliis adiutoribus suis quam creberrime habendas imperare; haec omnia, nec sine uberrimo profectu, sollemne habuit. Imprimis autem sibi curae habuit ut omnes in turbolentis illis, quae volvebantur, tempestatibus, suo exemplo permoti Apostolicae huic Sedi adhaererent quam maxime.

Fuit praeterea ab eo condita sacrarum virginum Sodalitas, quibus esset et iuventutem christianis moribus instituere, et aegrotos ac senes in valetudinariis opportunisque hospitiis suavi illa ratione curare, quam evangelica suadet caritas. Cum vero tot laboribus defatigatus ac paene fractus videbatur, iis, qui eum leniter reprehendissent, dicere solitus erat: sacrum administrum duo tantummodo habere requietis loca, corpori sepulcrum, animo autem beatae aeternitatis sedem.

Haud dissimili caritate ac sacri apostolatus ardore enituit Franciscus Xaverius Maria Bianchi, qui Arpini honestis ac probis parentibus natus, inde a puero suae virginitatis lilium tam diligenter, tam religiose custodivit intactum, ut non refugeret tenue atque innocens corpusculum suum flagellis eo consilio verberare, ut non modo illud redderet rectae rationi divinaeque legi oboediens, sed ut etiam ceterorum culpas insonti suo expiaret cruore.

Evangelicae perfectionis studio ac superno quodam instinctu permotus, nihil magis optabat quam inanibus ac volucribus

terrenae huius vitae gaudiis vale dicere, ac se totum divino servitio mancipare, in quo fas est laetitiis perfrui ac perfundi occiduis numquam. Eius votis obstitere parentes; obstitere etiam rerum difficultates non paucae; at ille caelesti collustratus lumine caelestique fretus auxilio, omnia vincere ac superare favente Dei gratia potuit; ac tandem Clericorum Regularium a S. Paulo institutum amplexus, angelicam potius quam humanam coepit peragere vitam. Religiosi huius instituti normis prompto semper, diligenti atque hilari voluntate obtemperare; corporis cupiditates voluptatesque compescere ac refrenare acerrime, ut facilius animus posset ad superna evehi; voluntarias castigationes afflictationesque ultro libenterque suscipere; ac, quod potissimum est, tam arcte cum Deo continenterque coniungi, ut nihil magis cuperet, nihil magis in deliciis haberet, quam longas dulcissimasque ante divina tabernacula flexis genibus traducere horas.

Itaque eius sanctitatis fama tam late patuit, ut non pauci sive ex infima plebe, sive etiam ex iis, qui in amplissima erant dignitate constituti, ad eum confugerent, ut suam eidem conscientiam aperirent, ab eoque normas, exempla, incitamenta ad recte vivendum acciperent. Haud mirum igitur est si « vir consiliorum » honoris causa vocabatur; haud mirum est si tot potuit, divina aspirante gratia, vel devios ad frugem bonam reducere, vel christianae iam virtutis iter ingressos studiosius usque compellere sapienterque moderari. Quamobrem cum ad humanum pervenit exitum, uberrimam iam collegerat salutaremque messem; eiusque peractae vitae praemium fuit, terrena omnia in immensum exsuperans, superna illa in Caelis beatitudo, qua Deo ipso summo infinitoque bono cuncta per aeva fruitur.

Duobus hisce sanctitatis heroibus tertius adiungitur, Ignatius a Laconi, qui humili loco natus humilique semper status rerumque condicione usus, ad evangelicae tamen vitae perfectionem citatiore cotidie gradu feliciter contendit.

Sardinia insula ei patria fuit; tuguriolum habitationem prae-

buit; durus agrorum labor frugalissimum victum. A piissima matre sua, antequam in lucem ederetur, Asisiati Patriarchae, uti fertur, devotus fuit; quod quidem votum ipse, grandiculus factus, ad affectum deducere, superatis difficultatibus non parvis, enisus est. Cum igitur tandem aliquando potuit asperum Franciscalium Capulatorum sagulum sibi induere, tanta laetitia affectus est, ut deinceps hilari semper vultu ab omnibus cerneretur. Supernum hoc gaudium, quasi speculo repercussum lumen, intimam referebat animi requietem, pacem, serenitatem; quae quidem Dei alebantur gratia, cum quo continenter arctissimeque coniungebatur. Labores, etsi graves ac diuturni, ei videbantur leves; oboedientia, suis debita moderatoribus, facilis semper; corporis afflictationes, interdum acerrimae, dulces ac suaves; omnia denique, quidquid sive gratum, sive adversum occurrebat, tranquilla ea voluntate amplectebatur, quae divinae est voluntati prorsus concredita eaque innixa. Cum ostiatim ad precariam stipem quaeritandam per urbes, per oppida, per villas gradiebatur, eius mens non hac in terra, quam pedibus solummodo attingebat, detinebatur, sed in Caelum erat defixa; cum angelis, sui itineris comitibus, colloquebatur angelus ipse in humana carne.

Eum videre salutari omnibus exemplo erat; eum autem audire, de divinis rebus loquentem, animos tam suaviter, tam vehementer percellebat, ut ad ingrediendum vel insistendum christianae virtutis iter omnes commoverentur. Cum autem ad sacram aram, humi positis genibus, precabatur — quo quidem nihil eidem erat dulcius, nihil iucundius — eius vultus fulgentiore luce radiabatur; atque aliquid spectatoribus proferebat, potius quam mundo, Caelo dignum. Excelsae huius sanctitatis praemium hac etiam in mortali vita assecutus est, cum res prorsus mirandas Dei numine ederet, quaslibet exsuperantes naturae vires. Non paucos, gravi implicitos morbo, ad sanitatem revocavit; eosque tam efficienter ad virtutem allexit, ut qui reliquus eis superesset temporis cursus, eum ad Deum converterent ad sempiternamque assequendam beatitatem.

Habetis, Venerabiles Fratres, habetis, dilecti filii, ante mentis oculos positos tres Sanctos Caelites, quos hodie Nobis datum est tam excelsae dignitatis insignibus exornare. Omnes profecto, sive infimi, sive medii, sive superioris sunt ordinis, praeclara in eis exempla cernere possunt, quae studiose actuoseque imitentur. Id faciant, hortamur, divino suffulti auxilio: habebunt hac in terra solacium, quod nemo potest auferre; habebunt in Caelo praemium, felicissimam nempe vitam, quae nescit occasum. Amen.

LITTERAE DECRETALES

BEATO VINCENTIO MARIAE STRAMBI, CONFESSORI PONTIFICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Episcopos, docente Apostolorum Principe, posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (cfr. *Ac.*, 20, 28): posuit et regere, qui in ipsis est, gregem Dei, formam factos gregis ex animo (cfr. I Pt., 5, 3). Oportet enim Episcopum sine crimine esse, hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere (cfr. Tim., 1, 7 ss).

Quae sane pulcherrima et ipsis Angelis miranda pastoralis imago numquam Ecclesiae abfuit, ne luctuosis quidem tempestatibus. Quin etiam plurimi vixerunt viri episcopali et dignitate et sanctimonia fulgentes, qui Christum Dominum, « Episcopum animarum », secuti, vere animas suas pro ovium sibi commendatarum salute ultro dedere.

Quibus inter christianae virtutis athletis, Mater Ecclesia laetissima annumerat Vincentium Mariam Strambi, Maceratensium et Tolentinorum Antistitem, Congregationis a Christi Passione lectissimum florem, quem hodie Sanctorum Caelitum corona donavimus, quemque in exemplum Christifidelibus proponere gaudemus.

Vincentius Maria Strambi honesto loco Centumcellis ortum duxit, Iosepho Strambi et Heleonora Gloria parentibus pientissimis, qui eum sexum virilem unicum quasi donum Dei susceperunt. Itaque nil attinet

dicere quanta sedulitate iam inde a teneris eius unguiculis filiolo bonos mores pietatemque christianam in primis suo ipsorum exemplo instillarent. Neque incassum: bonum enim sortitus animum coepit tenellus Deum sequi ac toto pectore diligere. Tum vero, Spiritu Sancto incensus, flagravit caritate in pauperes, quos et verbis, et nummis adiuvit, quantum sibi pro aetatula licuit.

Puerilibus adhuc annis Faliscodunum studiorum causa missus eoque loci inter Clericos sacri Seminarii adlectus, spem suorum magistrorumque de se excitatam adeo quidem implevit ut eius ingenium diligentiamque ac germanam virtutem admirarentur omnes, et quantus esset olim, Deo adiuvante, futurus haud pauci portenderent.

Romam inde, ut impensiorem divinis litteris operam daret, profectus, primo pios Sodales Calasanctianos, mox etiam Dominicianos Fratres cupidissime audivit: cumque omnium ob virtutis doctrinaeque laudem commendatione honestaretur, numquam tamen animum extulit, numquam ad amores saeculi eiusque pompas deflexit. Quod quidem ad extremum usque vitae tempus Vincentius Maria in exemplum praestitit.

Sacerdotio auctus, laetissime ac vere in angeli modum primis sacris litavit in urbe patria, alterum et vicesimum agens annum: statimque animorum iuvandorum studio percitus, labores suos in iis ponendos arbitratus est.

Quo motus consilio, se socium dedit Sancto Paulo a Cruce, qui eo tempore Congregationem constituere studebat a Christi Redemptoris Passione nuncupandam, aeternae hominum saluti perquam utilem.

Atque Vincentius Maria, cui inter Sodales a Sancto Paulo Apostolo nomen adiunctum fuit, Patris sui legiferi expectationem longe longeque superavit, cum ab ipso tirocinio luculenter ostenderit in animo sibi propositum esse omnium virtutum iter arripere, praesertim sui ipsius despicientiae, humanarum rerum abstinentiae, tenerrimi erga Christum patientem amoris, ac religiosarum legum observantiae.

Cura ideoque ei demandata fuit sacrarum expeditionum obeundarum, contionumque iis viris habendarum, qui per certos dies, omni terrenarum rerum cogitatione abiecta, animorum conformationi unice student. Quo in apostolico labore, mirum quanta sermonum eius auctoritas et gratia apud universos fuerit, nusquam non acceptus, nusquam sine uberrimo populorum fructu. Unde factum est ut eum viri doctrina, dignitate, natalibus conspicui, inter quos nonnulli etiam erant ex Purpuratis Patribus, magistrum pietatis sibi elegerint. Eoque illius virtutis fama percrebruit, ut quidam ex amplissimis Ecclesiae Principibus, qui Ve-

netias convenerant, novum Pontificem Maximum creaturi, sua suffragia in Vincentium Mariam Strambi ferrent, religiosum sodalem.

Iis ferme diebus Pauli, Patris legiferi sui, cui maerens et amans affuerat morienti, vitam summa fidelitate conscripsit et in vulgus emisit: et mox de caelitum honoribus eidem Patri suo ab Romana Ecclesia decernendis postulator perdiligens ad extremam usque senectutem fuit.

Cum vero anno millesimo octingentesimo primo Alexander Alessandretti, Episcopus Maceratensium et Tolentinorum, volens eo honore cessisset, Vincentius Maria a Pio VII, Decessore Nostro imm. mem., cui iamdiu ob merita probatissimus erat, magno omnium bonorum consensu, in illius Antistitis locum suffectus est. Itaque caram sibi Congregationem a Passione corpore non animo reliquens, ad creditum sibi populum nulla interiecta mora quasi pastor bonus properavit. Tunc sane compertum est quam delati muneris partibus explendis idoneus esset quantoque ovium suarum studio flagraret.

A clericorum cura exorsus, sacrum ephebeum singulari sollicitudine prosequebatur et, alumnorum exquisitissimis factis periculis, diligenter cavebat ne sacris eos initiaret, quorum se postea pudere deberet.

Nec satis. Cum enim Deum praecipue diligeret, fratres etiam amabat, parvos in primis, debiles atque infirmos. Quis dicat susceptos ab eo in hanc rem labores? Pueros patre orbatos in plurimis hospitiis alendos curabat. Perfugium item puellis in vitium delapsis vel periclitantibus aperuit. Ut adulescentulas e plebe opificio muliebri exerceret, ludum constituit, cui piissimas magistras praefecit. Pueros, quibus primum esset sanctum Christi Corpus rite libandum, cotidianis commentationibus et hortationibus in dies octo uno omnes loco institui voluit. Senes denique ex egentibus septimo quoque die in templum maximum christianae eis doctrinae tradendae causa congregabat. Atque ut id genus coepta perpetua forent, vectigalibus attributis effecit. Cum autem qui census sibi de parsimonia tenuique cultu supererant, subsidiis dandis minime sufficerent, divitum quoque opem implorabat, non erubescens pro Christi egenis mendicare.

Cum praecipuo arderet amore erga divinum Christi Redemptoris Sanguinem, incredibile paene dictu est quanta sedulitate ac diligentia animos fidelium excitare contenderet ad religiosum eiusdem Sanguinis cultum gratamque memoriam: sive habitis contionibus, sive libellis in lucem editis.

Optimam praeterea laudem meritus est in animis piorum moderandis et in viam christianae perfectionis mira doctrina ac suavitate veluti manu ducendis; cuius rei praeclaro argumento sunt sanctissimi aequales Gaspar Del Bufalo, Anna Maria Taigi, Vincentius Pallotti, et Iosephus

Maria Pignatelli, qui omnes Vincentio Maria conscientiae suae iudice ad tempus usi sunt.

Sed Vincentii Mariae suavitas ab invicta animi fortitudine ac constantia, cum opus esset, non seiungebatur. Quod praesertim enituit cum, exardescente illa Gallicae Reipublicae perturbationis tempestate, qua sacra omnia impie petebantur, Vincentius Maria, anno millesimo octingentesimo octavo, potius quam a Romano Pontifice per illicitum iusiurandum desciscceret, Novariam maluit in exilium indeque Mediolanum proficisci, ibique aerumnas multiplices gravesque magno animo perferre; sic tamen ut dioecesis suae curam vel absens minime neglegeret.

Pacata tandem Europa rebusque catholicae Ecclesiae compositis, sedem honoris sui statim, universa civitate gestiente, revisit. Ac post gratias Deo persolutas, iterum annisus est, ut miserae sui populi condicioni mederetur: ut scilicet veteres mores revocaret, utque pietatem ac religionem prope intermortuas in pristinum decorem restitueret. Quae omnia ea praestitit prudentia, quae sanctum decet Episcopum.

Vertente demum anno millesimo octingentesimo vigesimo tertio, Vincentius Maria senio aerumnisque confectus episcopatu Maceratensi et Tolentino sponte abiit. Quem tunc Leo XII Decessor Noster singulari amoris significatione Romam in pontificiam Familiam vocavit. Cum Vincentius Maria in Urbem pervenit, Pontifex Maximus gravissima vi morbi tentabatur. Qua de re quam doleret vix attinet dicere. Sunt namque qui affirment eum, qui sibi ad vivendum superessent dies, pro Augusti Pontificis vita Deo vovisse. Ac videtur Deus suscepisse votum. Dum enim Pontifex Maximus se melius habere coepit, die duodetricesimo mensis Decembris, ille pranditurus apoplexi correptus est. Qua post horam unam artuum et linguae usu omnino caruit; ipsisque kalendis Ianuarii anno millesimo octingentesimo vicesimo quarto, exitu placidissimo ad Christi sui amplexus, quem semper amaverat, gaudens transivit, immortalis gloriae coronam ab ipso « Episcopo animarum » percepturus.

Corpus ad pervetustam Ioannis et Pauli in Urbe basilicam, apud veteres Sodales suos, octavo ab obitu die elatum est, ibidemque incorruptum adhuc et flexibile conditum, viris principibus compluribus populoque frequentissimo confluentibus. Funus exinde tum Centumcellis, in urbe patria, tum praesertim Maceratae, in sua dioecesi, summo fidelium maerore instauratum est: ex quo tempore pii christifideles Vincentium Mariam deprecatorem apud Deum habuerunt semper.

Post Servi Dei mortem, cum eius sanctitudinis fama, qua adhuc vivens ipse inclaruerat, ob plura quoque miracula, quae a Deo, illo deprecante, patrata dicebantur, latius percrebruisset, Beatificationis et Ca-

nonizationis causa penes S. Rituum Congregationem agitari coepta est, cuius introducendae Commissionem, quae vocatur, die vicesimo quinto iunii mensis, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, Decessor Noster fel. rec. Gregorius XVI sua manu subsignavit. Postea, Ordinariis et Apostolicis Processibus tum Centumcellis, tum Romae, tum Maceratae et Tolentini, tum Viterbii et Mediolani, quibus in urbibus Dei Servus commoratus erat, rite constructis super eius vita, gestis, virtutibus, miraculis et sanctitatis fama, ipsisque districte expensis, kalendis Aprilibus anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto imm. mem. Decessor Noster Leo XIII, postquam hac de re legitime desceptatum fuit, solemni decreto sanxit Dei Famulum Vincentium Mariam Strambi tum theologales cum cardinales ceterasque virtutes heroum more coluisse. Actum est deinde de duobus miraculis, quae eodem Vincentio Maria deprecante, a Deo ferebantur patrata. Quibus in suetis, quas vocant, antepraeparatoria, praeparatoria ac generali Congregationibus maturo iudicio expensis, fel. rec. Pius PP. XI, ad se accersitis cl. mem. Antonio Cardinale Vico, tunc Episcopo Portuensi et S. Rufinae, S. Rituum Congregationis Praefecto et Causae Relatore, Alexandro Verde tunc eiusdem S. Congregationis a Secretis et Angelo Mariani, Fidei Promotore Generali, die undevicesimo mensis Martii anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto, sollemniter pronuntiavit: *Constare de utroque proposito miraculo, de primo scilicet instantaneae perfectaeque sanationis pueruli Petri Solani a letali diphterico morbo, quo in gutture et in naso praecipue laborabat; deque altero instantaneae perfectaeque sanationis puellae Teresiae Rafanelli a morbo, ut vocant, limphoadenite tubercolari, ulcerosa, diffusa et cum marasmo et cachexia coniuncta.* Die autem undetricesimo Martii eodem anno, idem Pontifex, post Sacrum factum, astantibus, quos antea diximus, Cardinali Vico, Alexandro Verde et Angelo Mariani *tuto* procedi posse edixit ad Venerabilis Dei Famuli Vincentii Mariae Strambi Beatificationem. Huius vero sollemnia anno Iubilari millesimo nongentesimo vicesimo quinto in Vaticana Basilica, magnifica pompa die vicesimo sexto mensis Aprilis iuxta translaticium morem celebrata fuere.

Post autem beatorum caelitum Vincentio Mariae Strambi Episcopo decretos honores, cum alia, eius invocato nomine, miracula dicerentur a Deo patrata, instante illius Congregationis sollerti Postulatore Generali, ab eodem Summo Pontifice Pio XI reassumptionis Causae ad novensilis Beati illius Canonizationem obtinendam Commissio signata est, die vicesimo quinto Novembris mensis, eodem anno.

Duae propterea sanationes, quae infra narrantur, Rituum Congre-

gationis disquisitioni exhibitae sunt, deque illis Processus Apostolici ad iuris tramitem constructi sunt.

Iosepha Arnò, Hannibalis filia, civis Manduriensis, ex Uritana dioecesi, septuaginta quinque annos nata, ingenti ovarica cysti letaliter laborabat eiusque tumor nec naturae viribus, nec medicinis, nec chirurgica sectione sanari poterat. Verum Beati Vincentii Mariae Strambi patrocinio implorato factum est ut, paucorum dierum spatio, Maio mense mediante, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, omnia morbida phaenomena omnino evanuerint, nullo adhibito humano remedio.

Sanatio altera puellulam Assumptam D'Agostino, Raphaëlis filiam, respicit, quae a gravi inflammatione epiphyseos femoris attacta fuerat. Beato Vincentio Maria invocato, puella in vestigio temporis inventa est perfecte sanata. Omnibus consideratis sanationis momentis, hanc praeter naturae leges contigisse, concors peritorum iudicium edixit.

Iuris ordine servato, suetis Congregationibus coram dilecto Filio Nostro Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore habitis, postrema coram Nobis ipsis Congregatio Generalis die vicesimo primo Iunii eodem anno coacta est, in qua idem Pater Cardinalis dubium proposuit: *An et de quibus miraculis post indultam Beato Vincentio Mariae Strambi ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Adstantes Patres Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores S. Rituum Congregationis suum quisque ediderunt suffragium; quod etsi laeto Nos animo accepimus favorabile esse, tamen de Nostra sententia cunctandum duximus maiorem divini luminis copiam imploraturi. Die tandem Iulii mensis tricesimo primo eodem anno, advocatis ad Nos Patribus Cardinalibus Clemente Micara, S. Rituum Congregationis Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Ponente, atque venerabili Fratre Alfonso Carinci, eiusdem Congregationis a Secretis, et dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, sacroque pie litato, sollemniter ediximus: *Constare de perfecta atque instantanea sanatione Iosephae Arnò ab ingenti atque insanabili ovarica cysti, nec non de instantanea perfectaque sanatione puellae Assumptae D'Agostino a gravi inflammatoria affectione epiphyseos femoris.*

Ad praeclarae huius Causae exitum unum tantum deerat dubium discutiendum, an scilicet, duobus quae narravimus miraculis rite probatis, *tuto* procedi posset ad Beati illius sollemnem Canonizationem. Quod quidem dubium coram Nobis, in Castri Gandulphi Palatii Nostri aula, die vicesimo secundo Novembris mensis, eodem anno, a dilecto Filio Nostro Cardinali Causae Relatore propositum est, atque concordi sententia omnes astantes S. Rituum Congregationis Patres Cardinales,

Praelati Officiales et Consultores, id fieri posse affirmarunt. Nos vero, ut Sancti Spiritus lumine clarius perfunderemur ad eiusdem mensis diem vicesimum septimum Nostram edere sententiam distulimus; quo die quos memoravimus S. R. E. Cardinalibus, Viro S. Rituum Congregationis a Secretis, et Fidei Promotore Generali astantibus, Nos Sacris pie operati, decrevimus: *Tuto procedi posse ad sollemnem B. Vincentii Mariae Strambi Canonizationem.*

Decessorum porro Nostrorum vestigia sectantes, primum quidem venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ad diem sextum decimum superioris mensis Martii in *Consistorio secreto* in Palatii Apostolici Vaticani suetam aulam convocavimus; in quo venerabilis Frater Noster S. R. E. Cardinalis Clemens Micara, S. Congregationis Rituum Praefectus, sermonem habuit de vita, gestis et miraculis Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, e Congregatione Clericorum excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis D. N. I. C., Confessorum; atque Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, ac Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat, Fundatricis Instituti Religiosarum a Sacra Familia, et Mariae Annae de Paredes, Virginum; et acta recensuit, quae in Causis Beatificationis et Canonizationis eorumdem Beatorum et Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac probanda censuit.

Qua relatione expleta, Nos astantium Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivimus, et suam quisque Nobis sententiam aperuit. Subinde in eadem consistoriali aula publicum habuimus Consistorium, ad sollemnem eorumdem Beatorum ac Beatarum Canonizationis perorationem dicendam: quam pro Beato Vincentio Maria Strambi dilectus Filius Camillus Corsanego, Aulae Consistorialis Advocatus, ornato sermone dixit, Nosque enixe rogavit ut ad optatam Canonizationem quam primum devenire dignaremur. Nomine quidem Nostro dilectus Filius respondit Antonius Bacci, Litterarum ad Principes a Secretis, qui Nos quoque peroptare dixit Beatos illos, hoc ipso Sacro vertente anno, supremis decorare Caelitum honoribus, eorumque ad imitandum sanctitatis exemplum proponere; attamen, ut in hac re Apostolicae Sedis translaticius mos religiose servaretur, non ante Nos de singulis Causis decretorium prolaturos esse iudicium, quam in *Consistorio,* quod *semipublicum* vocatur, proximo die vicesimo septimo eiusdem mensis Martii celebrando, iterum Patres Cardinales atque venerabiles Sacrorum Antistites, quotquot in Urbe adfuturi essent sententiam rogavissemus. Interea

vero astantes omnes hortati sumus ut, effusis precibus, menti Nostrae Spiritus Sancti lumen conciliarent. Mandavimus itaque ad singulos eos Praesules de Beatorum illorum vita, virtutibus et miraculis, ac de actis in eorum Causis commentarios transmitti, ut, ipsi, re plene cognita, suam possent aperire sententiam.

Die itaque vicesimo septimo Martii Consistorium hoc *semipublicum* in Palatio Nostro Vaticano habitum est, in quo Nos, astantes Patres Cardinales et Sacrorum Antistites brevi prius sermone allocuti, omnes rogavimus ut singuli Nobis suam aperirent sententiam de supremis Caelitum honoribus Beatis, quos supra memoravimus, decernendis. Quas sententias cum Nostra consentire valde laetati sumus. Decrevimus propterea sollemnes Beatorum illorum Canonizationis caerimonias per huius Anni Sacri decursum in Vaticana Basilica, Deo iuvante, peragere, singulis diem statuentes. Venerabiles autem Fratres astantes Sacrorum Antistites adhortati sumus, ut una Nobiscum supplicibus Deo instare precibus ne desisterent. De quibus omnibus ut acta iuridica conficerent, Consistorialis Aulae Advocatis rogantibus, Protonotariis Apostolicis qui aderant de more mandavimus.

Statutus autem hic dies, undecimus nempe Iunii mensis, ad sollemnem Beati Vincentii Mariae Strambi Canonizationem cum advenisset, omnibus saecularis et regularis cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis atque S. R. E. Cardinalium Collegio praeeuntibus, Nos ipsi sollemni pompa Patriarchalem Basilicam Vaticanam, magnificentissime ornatam innumerisque splendentem lychnis atque maxima fidelium multitudine stipatam, quos inter plurimi e religiosa familia, quam S. Paulus a Cruce condidit, ingressi sumus et ad Nostram Cathedram perreximus.

Tunc, praestita prius Nobis a venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus iuxta ritum oboedientia, Clemens Cardinalis Micara, Sacrae Congregationis Rituum Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Camillo Corsanego, Nostrae Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* et *instantissime* postulavit ut Nos Beatum Vincentium Mariam Strambi, Antistitem Confessorem, sanctitudinis infula decorare dignaremur. Nos autem per dilectum Filium Antonium Bacci, ab Epistulis ad Principes, respondimus iam nunc, Sancti Spiritus lumine prius implorato, sententiam Nostram inerrantem laturos esse. Mox in Cattedra sedentes, Nos uti catholicae Ecclesiae Episcopus et Christi Vicarius, omnibus aperto capite stantibus, hanc Canonizationis formulam ita sollemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Ca-*

tholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatum Vincentium Mariam Strambi, *Confessorem Pontificem, Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, nempe Kalendis Ianuariis, pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.* Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes Cardinalis Clementis Micara, per eundem Consistorialis Aulae Advocatum Nobis porrectis, hasce Decretales Litteras confici ac sub plumbo expediri iussimus, praesentibusque Protonotariis Apostolicis ut de eiusdem Canonizationis memoria publicum conficerent instrumentum mandavimus. Debitas deinde Deo Optimo Maximo gratias agentes, hymnum *Te Deum* una cum amplissima cleri populique turba cecinimus, atque novensilis Sancti patrocinium invocavimus, ac brevi homilia Illum meritissimis celebravimus laudibus, quippe qui iam a puero inter aequales suos candida praestiterit honestate morum innocentisque vitae munditia; qui, in religiosa familia, in quam ab ipso legifero Patre et Conditore Paulo a Cruce cooptatus, ad excelsae sanctimoniae verticem citatiore cotidie gradu contendere enisus est; qui Episcopus delectus Maceratensis et Tolentinus, in suo pastorali munere obeundo, animorum studio incensus, errantes non paucos falsisque opinationibus deceptos ad veritatis integritatem reduxit, vitiorum illecebris delenitos ad bonam revocavit frugem, clerum sibi subditum rite sancteque instituit ac conformavit, gregem dominicum sibi creditum ab errorum propugnatoribus defendit, a periculis omne genus diligentissime arcuit, et alloquio exemploque suo per salutaria pascua ad christianam compulit perfectionem; qui, calamitosa sua aetate, Dei Ecclesiaeque iurium defensorem sese praetulit acerrimum; etsi e sua Dioecesi deturbatus, strenuam sui animi fortitudinem luculenter exhibuit; ac, Dei opitulante gratia, suae sedi restitutus, alacriore animo operam suam pastoralem iterum suscipere potuit. Ex harum rerum eventibus omnino patere inquimus Ecclesiam Dei oppugnari posse, vinci non posse. Iesu Christi itaque promissionibus innixi, suum omnes roborent animum huiusque Sancti Caelitis invictam fortitudinem ceterasque virtutes in se referre studeant.

Qua homilia prolata, apostolicam benedictionem et plenariam admis-

sorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus. Mox ad altare accessimus sollemne pontificale sacrum celebraturi.

Ita Sancti istius Pontificis consecrata memoria, atque omnibus quae inspicienda erant rite perpensis, certa scientia, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, universa et singula, quae ante memoravimus, confirmamus, roboramus et iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae denuntiamus .Volumus insuper ut harum Litterarum Decretalium exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae iisdem praesentibus adhiberetur ostensis. Si quis vero Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati et voluntatis infringere vel eis contraire aut hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die undecimo mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

✠ CLEMENS Card. MICARA
S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Ap. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die decimanona Iulii, anno tertio decimo

Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 96. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

EPISTULA APOSTOLICA

AD VENERABILES FRATRES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ET AD DILECTOS FILIOS E CLERI LAICORUMQUE ORDINE CECOSLOVACAE REIPUBLICAE PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres ac dilecti filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Impensiore caritate eos diligimus, qui acerbis afflictisque rerum condicionibus utuntur ob tenacem praesertim fidelitatem incensumque amorem erga Divinum Redemptorem ab eoque conditam Ecclesiam. Horum vos in numero esse maerenti animo novimus. Novimus siquidem Catholicam Religionem, qua nihil est in annalibus vestris gloriosius, nihil est ad concordiam suadendam et ad pacem solidandam, nihil ad

iustitiam caritatemque fovendam et ad humanam tutandam dignitatem civilemque cultum promovendum aptius, in praesens, proh dolor, vel debita libertate privari, vel talibus praepediri impedimentis omneque genus difficultatibus, quibus eidem perarduum sit sua omnia exercere munera, sua privatim publiceque impertire praecepta, suamque beneficam vim in singulorum animos, in domesticos convictus, in litterarum ludos ac scholas, atque palam in omnium civium ordines summa cum communi utilitate proferre. Novimus sacrorum Antistites apud vos vel in carcerem fuisse detrusos, vel in publicae custodiae campis detineri, vel in ipsas suas sedes relegari, vel denique adsidue seduloque observari atque indagari ad perfunctionem etiam quod attinet muneris sui.

In iisdem tristissimis condicionibus sacerdotes versantur ac religiosi religiosaeque sodales ad centena utique multa, itemque plurimi e laicorum ordine viri, qui quidem idcirco infesti, perniciosi, insidiosique Reipublicae reputantur, quod Ecclesiae Catholicae praecepta ac normas mordicus retinent, fortiter tutantur, in vitae usum deducere enituntur.

At hoc iisdem honori, non dedecori vertitur; christiana enim doctrina, si erroribus non misceatur, non civium, non populorum, non gentium bono adversatur, sed potius humanae consortionis fundamenta continet, solidat, confirmat, eiusque iura atque officia aequa lance temperat, dum, debita omnium libertate servata incolumi, eos ad pacatam tranquillamque prosperitatem, iustitia veri nominis auspice, advocat atque conducit. Catholici cives nemini procul dubio in patria caritate cedunt, nemini in publicis observandis legibus publicisque reverendis auctoritatibus, dummodo nihil contra christianam suam ipsorum conscientiam, nihil contra Dei Ecclesiaeque iura imperetur. Quamobrem iidem — si verum quaeritur Nationis bonum — non praepediendi sunt, non ob tenacem erga avitam religionem fidelitatem iniustis poenis mulctandi, sed libere ac propalam debent suam fidem suamque opinandi, docendi vivendique rationem profiteri. Quod cum facere enituntur, etsi pericula incumbunt gravissima, non modo eos catholicorum totius orbis, sed quorumlibet etiam cordatorum hominum admiratio prosequitur.

Quod autem vehementiore anxitudine animum afficit Nostrum hoc est: iuvenes praesertim tenellosque pueros omni arte adduci, ut, christiana reiecta fide christianisque posthabitis praeceptis, eis priventur principiis ac normis, quibus cerea haec aetas conformetur oportet, quibus innocentia servatur incolumis, quibus virtus alitur, efficitque cives catholico nomine dignos. Videtis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, cuius gravitatis causa agitur; si iuventus non per rectam incedit viam, sed supernae lucis fulgore orbata per pronum labitur iter, quod ad vo-

luptatum blandimenta inducit, summum procul dubio detrimentum non ipsa sola capiet, sed futura etiam gentis vestrae aetas. Quamobrem omni ope enitendum est ut perniciosissimum eiusmodi vitetur malum; omni ope enitendum ut pueritia sana ac moribus integra pubescat, eisque sedulo instituatur christianis praeceptis, quae tantummodo eam possunt flagitiis servare immunem et ad virtutem assequendam excitare. Patres praesertim matresque familias vehementer adhortamur ut hac in re nullis curis, nullis parcant laboribus; in praesentibus siquidem rerum condicionibus eorum potissimum est, ea, quae sacerdotes, ea, quae ludorum praeceptores scholarumque magistri facere nequeant, diligentissime supplere.

Aliud praeterea est, quod paternum angit animum Nostrum. Perspectum enim habemus apud vos, vel incusationibus fucata tectis veritatis specie, vel apertis calumniis summopere contendi, ut christifideles a Catholicae Ecclesiae unitate et ab eius arce, ab hac nempe Apostolica Sede, si fieri possit, abstrahantur. Romanus Pontifex quasi inimicus gentis vestrae describitur, cum reapse pater sit amantissimus; atque eo usque proceditur, ut novum graviusque bellum eum machinari asseveretur, cum ipse, postquam nihil pro facultate praetermisit ut postremae dimicationis angustias, dolores, aerumnas relevaret, in praesens nihil reliqui faciat, quod omnium populorum concordiam et pacem suadere ac conciliare possit.

Nemo tamen, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, ob gravissimas eiusmodi angustias, animo concidat; ne concidant imprimis animo sacri Pastores, quorum est, utpote peculiare ipsis a Deo creditum officium, sui gregis alere fidem, sustinere virtutem, atque arctiorem usque cum Apostolica hac Sede solidare coniunctionem. Alias iam, per saeculorum decursum, easque gravissimas, gens vestra superavit tempestates; non semel iam debuere maiores vestri aut fortiter martyrium facere, aut avitam eiurare fidem; attamen catholicam invicto animo retinuere religionem, atque interdum suo etiam effuso sacrarunt sanguine. Vetustas optime nostis vestrorum populorum glorias; eas intemerato pectore aemulamini, firma ea spe freti fore ut, depulsis erroribus ac debita Ecclesiae libertate restituta, tandem aliquando fidelitatis ac fortitudinis exempla admirantibus omnibus proponantur. Illud autem imprimis mementote: posse homines vobis libertatem adimere, posse tormentis vos afficere, publico proponere dedecori, in vincula detrudere, ac vel etiam posse necem vobis consciscere; non posse tamen catholicam fidem vestris ex animis evellere, nec conscientiam maculare vestram. Martyres facient, si velint; non autem — ut fore confidimus a Deoque supplicibus implo-

ramus precibus — christianae religionis proditores, dummodo omnes voluntate firmissima Dei Ecclesiaeque legibus fideliter obtemperare ne desistant.

Vobis adsint e Caelo in praesenti discrimine ii Sancti Caelites, quibus gloriantur gentes vestrae; Ss. Cyrillus et Methodius, qui, ut memoriae traditum est, ingentibus exantlatis laboribus ac longissimis habitis itineribus effecere, ut Evangelii lumen vobis ceterisque Slavis populis affulgeret; S. Adalbertus, qui terras vestras apostolico sudore fecundavit, atque omne per aevum fidelitatis erga Sedem Apostolicam exemplum exstat praeclarissimum; S. Ioannes Nepomucenus, qui ob tuenda Ecclesiae iura ac sacramentale silentium religiose servandum martyrium strenue fortiterque subiit; martyres Cassovienses, quos Decessor Noster Beatus Pius X sollemniter tamquam fortissimos Christi athletas Beatos declaravit; S. Wenceslaus, qui suam profuso sanguine catholicam confirmavit fidem, eiusque ava S. Ludmilla, quae matres familias in gravibus hisce rerum adiunctis edocet qua animi firmitate proles sit christianis instituenda praeceptis christianaque alenda virtute; ac denique paene innumeri alii, qui sanctitatis nitore apud vos refulserunt. At imprimis benigna adsit tutela sua potentissima Deipara Virgo Maria, quae olim fuit, quae in praesens est, quae in posterum procul dubio erit vestrorum populorum palladium ac patrona validissima; quam vos in tot sacris aedibus incensa pietate colitis, ipsa, ut amantissima Mater est, necessaria ab Unigena Filio suo vobis impetret auxilia, quibus tantopere hisce in praesentibus rerum angustiis indigetis. Iam alias id fecit; faciat, precamur, tot supplicibus exorata vocibus hac etiam aetate nostra, qua non minoris profecto gravitatis mala malorumque molimina in religionem ingruunt, quae bonorum omnium ac Nostrum suspensum ac trepidum tenent animum. Debita ubique restituatur Ecclesiae libertas, qua eadem ad civilis ipsius societatis profectum utitur et ad eius solidanda fundamenta. Qui suae tutandae religionis causa in vincula coniecti sunt, qui in publicae custodiae locis detenti, ii tandem omnes ad patrios redire lares queant, ibique tranquillam possint traducere vitam ac suam libere religionem colere. Illa civium ac populorum omnium redintegretur pax atque concordia, quae neque Ecclesiae sanctae, neque Nationibus, neque singulis hominibus sua deneget iura, suamque deneget dignitatem. Haec veri nominis pax, quae veritate, iustitia caritateque fulcitur, et quam Iesus Christus bonae attulit voluntatis hominibus,[1] quam citissime vobis omnibusque arrideat.

[1] Luc. II, 14.

Ad haec omnia collatis precibus impetranda, data superiore mense Septembri Encyclica Epistula « Ingruentium malorum », catholicum adhortabamur orbem; at vos peculiari modo, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, ad Deiparae Virginis patrocinium implorandum per has litteras paterno animo invitamus, dum a benignissima Matre Nostra Maria, in gravibus, quibus utimini, rerum adiunctis, superna vobis precamur auxilia. Divinus Redemptor, sine quo nihil, quo iuvante omnia possumus, a Genetrice exoratus Sua, Nostris votis ac precibus, quibuscum vestrae ac totius catholici orbis supplicationes coniunguntur, quam primum benignissime obsecundet.

Sciatis Nos impensa vos caritate paternoque animo cotidie prosequi, vestrasque rerum angustias Nostras itidem esse angustias; ac perspectum etiam habeatis poenas aerumnasque vestras propitium Deum accipere, easdemque convertere in supernarum gratiarum imbrem.

Quarum caelestium gratiarum auspex esto amantissimaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, iisque nominatim, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam »,[2] effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis Octobris, in Festo Domini Nostri Iesu Christi Regis, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO AB IMMACULATA CONCEPTIONE CIVITATIS ZAMORENSIS IN MEXICO PRAECIPUA PATRONA CAELESTIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Cives Zamorenses in Dicione Mexicana laeto animo comperimus in Beatissimam Virginem Mariam, absque peccati labe Conceptam, officiosa affectos esse pietate Eamque anno MDCCCL, quo, cholera morbo grassante, Ipsius ope, uti ferunt, iidem ab hac peste servati essent immunes, Caelestem sibi apud Deum Patronam, voto nuncupato, adoptasse. Eo autem quod proxime insequente

[2] MATTH. V, 10.

anno semel saecularis memoria tam fausti eventus agetur universaque civitas Almae Deiparae iterum consecrabitur sollemni caerimonia, Venerabilis Frater Iosephus Gabriel Anaya y Diez De Bonilla, Zamorensis in Mexico Episcopus, cupiens ut religio Catholica et cultus Sanctae Dei Genetricis in Christifidelium animis altius insiderent, enixas ad Nos admovit preces ut electionem illam, ab ecclesiasticis viris praecipuis, urbis moderatoribus omnique populo olim pronuntiatam, ratam habere atque confirmare dignaremur. Nos autem, hoc exoptantes ut, quae aegritudinem corporum praecaverit, Beatissima Virgo Maria filios Suos a spiritualibus etiam morbis iugiter custodiat, eiusmodi vota libenti animo statuimus admittenda. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Virginem Mariam ab Immaculata Conceptione Civitatis Zamorensis in Mexico praecipuam apud Deum Caelestem Patronam declaramus seu denuo confirmamus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis quae Patronis principalibus locorum iure competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Octobris, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

INTERNUNTIATURA APOSTOLICA IN LIBERIANA REPUBLICA CONSTITUITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In gregem, quem ex supremo pastorali munere commendatum Nobis habemus, omne ingenium ac studium Nostrum conferentes, eius saluti atque utilitati sedulo prospicimus, quemadmodum temporum ac rerum postulant adiuncta. Cum igitur commodum esse visum fuerit Apostolicam hanc sedem et Liberianam Civitatem publicis officiorum vinculis inter se coniungi, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Liberiana Republica *Internuntiaturam Apostolicam* erigimus et constituimus, cuius sedem in urbe *Monrovia* collocamus. Eidem ergo sic per Nos erectae Internuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Legationi sic constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iulii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EXCMOS PP. DD. ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS LOCORUMQUE ORDINARIOS POLONIAE PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum iam lustri abeat intervallum, ex quo vos, Venerabiles Fratres, greges vestros totamque gentem vestram Immaculato Cordi Beatissimae Virginis Mariae sollemni ritu dicastis, pro incenso studio, quo Poloniam fortissimam semperque fidelem diligimus, ut expergefaciamus et acuamus fiduciam, quam tunc in Dei hominumque Matre collocastis, utque tot inter discrimina rerum intrepidi sitis, avemus vobis ea, quae cum animo Nostro iam diu volvimus, significare.

Ante omnia, aeque ac vos ipsi, desiderio quodam Nos commoveri sentimus. Non omnes Antistites, qui memoratis ac memorandis sacris illis caerimoniis interfuerunt, adhuc in terris vivunt. Abripuit mors Cardinalem Augustum Hlond, qui sapientia et operum praestantia conspicuus, gregem sibi creditum per asperum moderatus est callem, iterum suscitatae Poloniae mores naviter finxit, pro patria, pro Ecclesia, pro Christi Vicario, pro Deo, vitam profudit. Modo autem luximus obitum Cardinalis Stephani Sapieha, qui firmus, strenuus, umquam nullius insectationis impetu territus est, qui « in vita sua suffulsit domum et in diebus suis corroboravit templum... qui curavit gentem suam et liberavit eam a perditione ».[1] Fuit is vir « tamquam arbor plantata iuxta rivos aquarum »:[2] arbor frugifera et inconcussa, cuius aspectus non tantum Polonis, sed etiam universae christianae suboli causa erat fidentis laetitiae.

Diem quoque supremum obierunt Luceoriae Episcopus, bis exul; Czestochoviensium Antistes, mirificae imaginis Beatae Mariae Virginis Claromontanae « Custos et legatus »; Wladislaviae denique Episcopus, qui tot tantasque recentis belli tempore pertulit aerumnas. His omnibus sacris pastoribus, egregie de catholico nomine meritis, lucem sine occasu, pacem sine termino effusa prece deposcimus et adprecamur; vobis autem adauctum exoptamus virtutis robur, quo illi in exemplum enituerunt. Ut boni milites Christi asperitatibus exerciti, non pressi lumina vestra in

[1] *Eccl.* 50, 1, 4.
[2] *Ps.* 1, 3.

montem attollite, unde veniet vobis auxilium opportunum, ad montem scilicet, quem patres vestri « Clarum » appellarunt, in montem, ubi Deipara Regina vestra suum fixit tentorium, ubi supplicibus turbis materno vultu eius arridet imago.

Vestram dignoscentes in Virginem Dei Matrem flagrantissimam religionem, facile opinamur magnam vobis fuisse animi aegritudinem, cum vobis copia parata non esset Romae adstandi, cum ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Christi honorem, ed eius Matris decus augendum, ad Ecclesiae universae cumulandam laetitiam dogma Mariae in caelum assumptae sancivimus. Tunc desiderio adspiciendi vos, merito exsultantes de huiusmodi eventu, haud paulum tangebamur, cum minime ignoraremus pernobilem nationem vestram iam mille adhinc annis cum Dei Matre caelo recepta arctissimis vinculis iunctam esse inque eam tali inardescere pietate, in qua colenda et fovenda nemini umquam ceditis. Vixdum enim Crucis mysterium in regiones vestras invectum fuerat, Poloni praecelsam Deiparam, suavissimo observantiae affectu, matrem suam et patriae patronam deamaverunt et venerati sunt. Prima aedes sacra Gnesnae erecta, a Mieszko, illustri viro principe, adsentiente Decessore Nostro Ioanne XIII, in honorem Assumptae Virginis Mariae consecrata est, quae quidem deinceps innumerorum templorum, eadem appellatione fulgentium, veluti caput et mater fuit.

Gavisi autem valde sumus, cum venerabilem Fratrem Stephanum Wyszyński, Gnesnensem et Varsaviensem Archiepiscopum, qui Apostolorum limina veneraturus huc venerat, vidimus et allocuti sumus: in eo autem omnes vos complexi sumus et salutavimus. Protulit is Nobis Polonae gentis amoris plena obsequia ac certiores Nos reddidit istic minime arefactam vel relaxatam esse reverentiam et fidem, qua vestrates, maiorum suorum exempla secuti, cum hac Petri Sede cohaerent. Edocuit item Nos de labore, ingenti quidem neque omne genus difficultatibus retento, quo vos adiutricem operam sacerdotibus et christifidelibus navantibus, bello partas reparastis ruinas et catholicae religionis profectui et decori istic consulitis. Christiana adolescentis aetatis institutio et ea quae rem socialem rite componendam spectant, ubi maiores opponuntur difficultates et perniciosiora imminent pericula, anxias ad se certe vestras curas convertunt. Vos macte virtute estote! Deus fortibus propitius aderit et Deipara, Regina vestra, auxilio suo non destituet gentem, quam sua communit tutela. Caelestis Parens et Patrona, quam suavissimo hymno « Bogurodzica-Dziewica » (Deipara-Virgo) diuturnam per saeculorum seriem aestuante amantium filiorum dulcedine, comprecamini, post nubila et procellas ad serenum portum profecto Polonos adducet. Rememoramini,

quoties per decursum aetatum, manifesta ope Beatissimae Virginis, Redemptoris Matris, gens vestra claros retulerit triumphos. Nondum ferme sopita est echo illius Claromontani proelii, in quo exiguus monachorum numerus et strenuorum Mariae equitum ab obsidione Montis Sacri et a Poloniae finibus hostium copias recedere coëgit. Ipsi supernae Reginae in Claro Monte se credidit praeclarissimus ille Ioannes Sobieski, qui eximia sua virtute christianam rempublicam a vetustis hostium insidiis liberavit. Postea quasi prospicerent imminentia Poloniae damna, Polonorum Antistites prodigiosae Claromontanae Imagini, a Decessore Nostro Clemente XI acceptum, aureum imposuerunt sertum labansque Regnum, aerumnoso vertente aevo, Deiparae moderandum commendarunt.

Inclyta Virgo caelo recepta resuscitatam patriam vestram, in angustiis et pernicie versantem, suppliciter invocata, contra impios ausus miro iuvit auxilio, cuius fel. rec. Decessor Noster Pius XI testis ipse exstitit. Nosmet, recenti furente bello, perspicuis indiciis pernovimus, quanta Poloni erga Dei Genetricem pietate fideque flagrarent. Ipsi inter fumantes caenobii Montis Casini ruinas, parta victoria, altare imagine Deiparae exornatum statuerunt; sacram Lauretanam Domum, ignivomis globis percussam, spreto vitae periculo, indemnem ab igne et a strage servarunt: quos quidem fortissimos milites, Marialis templi defensores, Pontificiorum Ordinum insignibus decorari tunc iussimus.

Adhunc fervet pugna; non est vobis « colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus ».[3] Magnos namque sustinetis hostiles incursus. At advigilat vobis Mater misericordiae, certae causa salutis; neque vestram expectationem ulla ex parte fallet. Ipsa, Virgo potens et infernae potestatis debellatrix, vobis claras advehet victorias et acceptum a maioribus vestris fidei thesaurum, qui incomparabilis est pretii, indemnem tutabitur, perquam digna laudibus, quibus hymno quodam vestro canitur: « Terribilis es inimico sicut castrorum acies bene ordinata. Sis Christianorum refugium portusque securus ». Valet igitur et debet Polonia nobilis tuto eius se patrocinio committere inque ea suam boni adventuri aevi spem omni cum fiducia ponere: qua muniti et roborati « viventes laudetis nomen Domini et ne claudantur ora Eum canentium ».[4] Haec vobis, Venerabiles Fratres, ex animo ominati, quaecumque sunt salutaria et optabilia ad omnipotenti Deo propositis et inceptis vestris adprecamur atque, superni auxilii pignus, vobis, necnon universo clero, vobiscum in

[3] *Eph.* 6, 12.
[4] *Est.* 13, 17.

animarum bonum adlaboranti, religiosis viris ac feminis orationi et operi instantibus, fidelibusque omnibus vestris curis concreditis, Apostolicam Benedictionem amantissima voluntate impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EMUM P. D. SAMUELEM ALPHONSUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM STRITCH, ARCHIEPISCOPUM CHICAGIENSEM, PRAESIDEM CONVENTUS IX NATIONALIS DE INSTITUTIONE CATECHETICA.

To Our Beloved Son Samuel Cardinal Stritch. — Five years have passed since We addressed the Eighth National Catechetical Congress in Boston, and in sending this message to the Ninth Congress now meeting under your eminent patronage, beloved son, We wish above all to renew the expression of Our constant and very keen interest in the activities of the Confraternity of Christian Doctrine. When We think of the members of the Confraternity, there comes to Us a distant echo of those appealing words of the divine Master to His first disciples: "The harvest indeed is great, but the labourers are few; pray ye therefore the Lord of the harvest that he send labourers into his harvest", and We seem to see some answer to that prayer in the thousands of well-trained catechists, religious and lay, who are consecrating the resources of their deep faith, their intelligence, solid piety and zeal to the instruction of children, youth and parents. "You are the salt of the earth, you are the light of the world", were spoken also of them. For if the one preservative of modern civilization against corruption and decay, and the one steady ray of hope that beckons the nations to bestir their reason and their courage and to shake off the illusory and fatal dream of peace and happiness without God, is the divine teaching of Jesus Christ, then the Confraternity of Christian Doctrine is not only lighting the way of truth for Our own dear children and helping them to walk it with firm step, but it is aiding mightily to salvage for the world its most precious heritage. Only believing souls will shed light on this dark earth.

But how strong will that light be; and how many will be prepared to shed it? Those are the practical questions confronting your Congress.

Heeding the behest of Our saintly predecessor, Bl. Pius X, whom it reveres as its heavenly patron, the Confraternity aims at nothing less than a centre in every parish. We like to hope that goal is within sight in all the diverse sections of your country. What pastor of souls, reflecting on those divine words spoken through the prophet: "I will give you pastors according to my own heart and they shall feed you with knowledge and doctrine" [1] could rest content, if he were not putting forth every effort to ensure that the little ones of his flock, one and all, are being instructed carefully, patiently, progressively in the teachings of their faith? And because this instruction cannot begin too early, he will have to assist parents to initiate it before school age.

This instruction will be progressive. A child's grasp of the truths of faith will necessarily be limited by his intellectual capacity; but as this develops so should his knowledge of God's revelation deepen and increase through youth and mature age, opening up to his eye of faith the unfathomable "blessing with which God... has blessed us in Christ, marking us out to be his adopted children through Jesus Christ",[2] so that all should "be one person in Him",[3] "heirs of God, sharing the inheritance of Christ".[4] Then will come home to those you instruct the logical and full significance of the words of the Apostle when he reminds the Ephesians: "As God's favoured children, you must be like Him, ordering your lives in charity upon the model of that charity which Christ showed to us, when He gave himself up on our behalf, a sacrifice breathing out fragrance as He offered it to God".[5] And as that charity of Christ is vast as the world, so if men love Him, their charity will extend over the entire earth, because the members of Christ are to be found everywhere in the world. "If thou lovest only a part", St. Augustine preached to his people, "thou art divided; and if thou art divided, thou art not in the body; and if thou art not in the body, thou art not under the Head. The Lord Jesus Christ ascending into heaven saw that many would honour Him because of his ascension, and He saw that their honour would be empty and vain if at the same time they maltreat his members on earth".[6]

From this it will be clear that the catechist, whether lay, religious

[1] *Ier.* 3, 15.
[2] *Eph.* 1, 3-5.
[3] *Gal.* 3, 29.
[4] *Rom.* 8, 17.
[5] *Eph.* 5, 1-2.
[6] St. Aug., *P. L.* 35, 2060-61.

or priest, has a profoundly apostolic vocation, to carry on the redemptive mission of the eternal Son of God, who came to enlighten men, revealing to them the sources of divine life and thus lead them on to salvation. Let then the members of the Confraternity of Christian Doctrine approach their task with the spirit of Christ, humble, kind, patient, tireless and tactful in drawing a restless and sorely tried generation to an interest in the things of God, mindful always to lean heavily on the power of prayer with the Eternal Father to illumine the minds of their pupils that they may grasp the truths of faith. We are encouraged by the Mid-Century Report of progress made and We would ask you, beloved son, to extend Our sincere felicitations to Our Venerable Brother, the episcopal chairman of the Confraternity, and to his associates and assistants. As a pledge of those heavenly graces so necessary, if this vital apostolate of the Church is to be carried through to complete success, to you, beloved son, to the episcopal committee of the Confraternity of Christian Doctrine and to all its members, from a heart filled with paternal affection for all We impart the Apostolic Benediction.

From the Vatican, September 14, 1951.

PIUS PP. XII

III

AD EMUM P. D. FRIDERICUM, EPISCOPUM TUSCULANUM, S. R. E. CARDINALEM TEDESCHINI, PATRIARCHALIS BASILICAE VATICANAE ARCHIPRESBYTERUM, SACRI CONSILII PETRIANAE FABRICAE PRAEFECTUM EUNDEMQUE SUMMI PONTIFICIS DATARIUM, LEGATUM DELECTUM AD SACRA SOLLEMNIA IN LUSITANIA AD SIMULACRUM B. VIRGINIS MARIAE DE FATIMA CELEBRANDA.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Proximo Octobri mense, postquam Congressus Marialis ex omnibus nationibus Ulyssipone in Lusitania habitus fuerit, Anno Sacro, quem ad universum catholicum orbem extendimus, ad exitum feliciter vergente, festa admodum sollemnia in honorem ipsius Deiparae in sanctuario Fatimano magnifica pompa celebrabuntur. Quum enimvero elucescet anniversaria dies decima tertia mensis Octobris, qua, uti fertur, Beata Virgo Maria ibidem postremo conspiciendam se dedit, magna quidem fidelium multitudo ad venerandam imaginem Nostrae Dominae de Fatima ex omnibus regionibus, sicut adsolet, adibit. Nos autem, qui a primis Nostri

Pontificatus annis iterum iterumque bonos Lusitanos ceterosque orbis terrarum fideles exhortati sumus, ut maiore in dies cum fiducia atque ardentiore supplicatione ad praeclaram imaginem accedant, quique eandem sollemni ritu quinque abhinc annos coronandam quoque decrevimus, nihil gratius acceptiusque habemus, quam ut proximam celebrationem auctoritate et praesentia quadam Nostra adaugeamus. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, Romanae purpurae splendore exornatum, Legatum Nostrum eligimus ac renuntiamus, ut Nostram gerens personam sacris sollemnibus ad simulacrum Virginis de Fatima agendis Nostro nomine Nostraque auctoritate praesideas. Nihil profecto dubitamus, quin tu, pro studiosa erga Caelestem Reginam observantia ac veneratione, pro singulari, qua es affectus, erga nationem Lusitanicam caritate, perhonorificum munus tibi demandatum sis libenter feliciterque exsecuturus. Quo autem eadem sollemnia uberiorem fructuum copiam christiano populo afferre queant, tibi ultro potestatem damus, ut constituta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Denique sinceram stabilemque animorum populorumque concordiam per Caelestem Matrem a Deo suppliciter precati, secundi exitus conciliatricem, paternaeque voluntatis Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater Noster, iisque omnibus, qui memoratis sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Septembris, in festo Beatae Mariae Virginis de Mercede, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOSEPHUM FIETTA, ARCHIEPISCOPUM TIT. SARDICENSEM, NUNTIUM APOSTOLICUM IN ARGENTINA, QUINTUM ET VICESIMUM EPISCOPATUS ANNUM FAUSTE CELEBRATURUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Peculiari semper iucunditate perfundimur, quotiescumque secunda Nobis exhibetur occasio benevolos animi sensus declarandi erga eos, qui, dignitate conspicui atque praestantes auctoritate, Apostolicae huic Sedi No-

bisque consilium operamque suam apud exteras nationes persolvunt. Quare tibi, Venerabilis Frater, quinque a suscepto episcopatu lustra iam explenti, Nostra omina ac vota per hasce litteras publice deferre periucundum est Nobis. Hoc enimvero haud brevi aetatis spatio, postquam ad archiepiscopalem dignitatem evectus es, pro tua prudentia ac sollertia, primo in America Centrali Internuntium Apostolicum egisti, deinde Nuntii Apostolici munus sustinuisti in Republica Haitiana ac Dominicana, tum in Argentina, ubi adhuc officio tuo incumbis. Quae quidem tua erga Ecclesiam merita suavi memoria repetentes, de praenobili ministerio tam diuturne utiliterque exercito ex animo gratulamur, faustique eventus celebrationem laetis fervidisque votis prosequimunr. Quo autem sollemnia proxima adaugeamus, tibi ultro potestatem damus, ut constituta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Caelestis interea praesidii auxiliique conciliatrix, peculiaris Nostrae dilectionis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, tuisque laborum sociis amantissime in omino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Septembris, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

V

AD EMUM P. D. IOSEPHUM M. TIT. SANCTAE MARIAE SCALARIS S. R. E. PRESB. CARDINALEM CARO RODRIGUEZ, ARCHIEPISCOPUM SANCTI IACOBI IN CHILE, QUEM LEGATUM ELIGIT AD DECIMUM CONVENTUM EUCHARISTICUM E TOTA CHILENSI NATIONE IN CIVITATE VALLIS PARADISI INEUNDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Accepimus perlibenter decimum Conventum Eucharisticum, e tota Chilensium natione in Vallis Paradisi civitate cogendum, piis fidelium officiis magnoque animorum studio iam pridem apparari. Omnis enim eiusmodi congressio eo spectat profecto, ut divinum pacificumque Christi imperium suis iustitiae caritatisque legibus vinculisque in cunctis rei publicae partibus, in universis civium ordinibus altius stabiliatur atque efficacius persentiatur. Pro explorato namque habemus, ex sollemnibus coetibus in Augusti Sacramenti honorem habitis non modo singulos fideles do-

mum suam reverti ardentiore in Deum proximosque amore succensos, sed civilem quoque hominum consortionem caelesti quadam vi ac virtute suaviter actam fortiter commoveri acriterque ad meliorem frugem quodammodo excitari. Ex hac autem salutari populi permotione efficitur, ut in Christianae consociationis venas novus quidem fervor novusque veluti sanguis ad virtutes omne genus exercendas circumfluat. Nos itaque, dum pia consilia sollertesque apparatus debita laude honestamus, nihil praetermittere volumus, quod ad proximae celebrationis Eucharisticae splendorem ac magnificentiam conferre possit. Quapropter te, Dilecte Fili Noster, qui praenobili Sedi Metropolitanae Sancti Iacobi praepositus es, quique, Romana purpura exornatus, tanta in Augustum Sacramentum pietate eluces, Legatum Nostrum eligimus ac renuntiamus, ut Nostram gerens personam, Conventui Eucharistico, e tota Chilensi natione in civitate Vallis Paradisi proxime ineundo, nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas, eiusque sollemnibus coetibus sacrisque caerimoniis ipse modereris. Profecto uberes ex hac celebratione salutis fructus exspectari licet, praesertim si ita animorum foveantur studia, ut non modo in triumphales Eucharistiae honores deferendos eadem erumpant, verum etiam quam diutissime perseverent atque ad fideles in christianae vitae instituto inque cultu Augusti Sacramenti exacuendos plurimum valeant. Quorum quidem supernorum munerum in auspicium, inque praecipuae caritatis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, egregio Episcopo Vallis Paradisi cunctisque iis, qui Congressioni intererunt, in primisque sacrorum Antistitibus civilibusque Magistratibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Septembris, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

*Iis qui Romae adfuerunt Conventui universali de catholico laicorum apostolatu.**

De quelle consolation et de quelle joie déborde Notre cœur au spectacle de votre imposante assemblée, où Nous vous voyons réunis sous Nos yeux, vous Nos Vénérables Frères dans l'épiscopat, et vous aussi, chers fils et chères filles, accourus de tous les continents et de toutes les régions au centre de l'Eglise, pour y célébrer ce Congrès mondial sur l'Apostolat des laïques. Vous en avez étudié la nature et l'objet, vous en avez considéré l'état présent et vous avez médité sur les importants devoirs qui lui incombent en prévision de l'avenir. Ce furent pour vous jours de prière instante, de sérieux examen de conscience, d'échanges de vues et d'expériences. Pour conclure, vous êtes venus renouveler l'expression de votre foi, de votre dévouement, de votre fidélité au Vicaire de Jésus Christ et le prier de féconder par sa bénédiction vos résolutions et votre activité.

Bien souvent, au cours de Notre Pontificat, Nous avons parlé, dans des circonstances et sous des aspects fort variés, de cet apostolat des laïques, dans Nos messages à tous les fidèles ou en Nous adressant à l'Action catholique, aux Congrégations mariales, aux ouvriers et aux ouvrières, aux enseignants et aux enseignantes, aux médecins et aux juristes, et aussi aux milieux spécifiquement féminins, pour insister sur leurs devoirs actuels même dans la vie publique, et à d'autres encore. Ce furent pour Nous autant d'occasions de traiter, incidemment ou expressément de questions, qui ont trouvé, cette semaine, leur place tout marquée à votre ordre du jour.

Cette fois, en présence d'une élite aussi nombreuse de prêtres et de fidèles, tous très justement conscients de leur responsabilité dans ou envers cet apostolat, Nous voudrions, d'un mot très bref, « situer » sa place et son rôle d'aujourd'hui à la lumière de l'histoire passée de l'Eglise. Il n'en a jamais été absent; il serait intéressant et instructif de suivre son évolution au cours des temps écoulés.

On se plaît souvent à dire que, durant les quatre derniers siècles, l'Eglise a été exclusivement « cléricale », par réaction contre la crise, qui

* Habita die 14 Octobris mensis a. 1951.

au seizième siècle avait prétendu parvenir à l'abolition pure et simple de la hiérarchie et, là-dessus, on insinue qu'il est temps pour elle d'élargir ses cadres.

Pareil jugement est tellement loin de la réalité que c'est précisément depuis le saint Concile de Trente que le laïcat a pris rang et a progressé dans l'activité apostolique. La chose est facile à constater; il suffit de se souvenir de deux faits historiques patents entre bien d'autres: les Congrégations mariales d'hommes exerçant activement l'apostolat des laïques dans tous les domaines de la vie publique, l'introduction progressive de la femme dans l'apostolat moderne. Et il convient, sur ce point, de rappeler deux grandes figures de l'histoire catholique: l'une, celle de Marie Ward, cette femme incomparable que, aux heures les plus sombres et les plus sanglantes, l'Angleterre catholique donna à l'Eglise; l'autre, celle de saint Vincent de Paul, incontestablement au premier plan parmi les fondateurs et les promoteurs des œuvres de la charité catholique.

Il ne faudrait pas non plus laisser passer inaperçue, ni sans en reconnaître la bienfaisante influence, l'étroite union qui, jusqu'à la révolution française, mettait en relations mutuelles, dans le monde catholique, les deux autorités établies par Dieu: l'Eglise et l'Etat. L'intimité de leurs rapports sur le terrain commun de la vie publique, créait — en général — comme une atmosphère d'esprit chrétien, qui dispensait en bonne part du travail délicat, auquel doivent, aujourd'hui, s'atteler les prêtres et les laïques pour procurer la sauvegarde et la valeur pratique de la foi.

A la fin du dix-huitième siècle, un facteur nouveau entre en jeu. D'une part, la constitution des Etats-Unis de l'Amérique du Nord — qui prenaient un développement extraordinairement rapide et où l'Eglise devait bientôt croître considérablement en vie et en vigueur — et, d'autre part, la révolution française, avec ses conséquences aussi bien en Europe que outre-mer, aboutissaient à détacher l'Eglise de l'Etat. Sans s'effectuer partout en même temps ni au même degré, ce détachement eut partout pour suite logique de laisser l'Eglise pourvoir par ses propres moyens à assurer son action, l'accomplissement de sa mission, la défense de ses droits et de sa liberté. Ce fut l'origine de ce que l'on appelle les mouvements catholiques, qui, sous la conduite de prêtres et de laïques, entraînent, forts de leurs effectifs compacts et de leur sincère fidélité, la grande masse des croyants au combat et à la victoire. N'est-ce pas là, déjà, une initiation et une introduction des laïques à l'apostolat?

En cette solennelle occurrence, Nous Nous faisons un bien doux devoir d'adresser une parole de reconnaissance à tous ceux, prêtres et fidè-

les, hommes et femmes, qui se sont engagés dans ces mouvements pour la cause de Dieu et de l'Eglise et dont les noms méritent d'être cités partout avec honneur.

Ils ont peiné, combattu, unissant de leur mieux leurs efforts trop dispersés ; les temps n'étaient pas mûrs encore pour un congrès tel que celui que vous venez de tenir. Comment donc sont-ils venus à maturation au cours de ce demi-siècle? Vous le savez ; à un rythme de plus en plus accéléré, la faille qui, depuis longtemps avait séparé les esprits et les cœurs en deux partis, pour ou contre Dieu, l'Eglise, la religion, s'est élargie, approfondie ; elle a dessiné, peut-être pas partout avec une égale netteté, une frontière au sein même des peuples et des familles.

Il y a bien, c'est vrai, toute une tourbe confuse de tièdes, irrésolus et flottants, pour qui la religion est peut-être encore quelque chose, mais quelque chose de bien vague, sans nulle portée sur leur vie. Cette tourbe amorphe peut, l'expérience l'enseigne, se voir, un jour ou l'autre, à l'improviste, mise en demeure de prendre une décision.

Quant à l'Eglise, elle a, vis-à-vis de tous, une triple mission à remplir : hausser les croyants fervents au niveau des exigences du temps présent ; introduire ceux qui s'attardent sur le seuil dans la chaude et salutaire intimité du foyer ; ramener ceux qui se sont éloignés de la religion, et qu'elle ne peut pourtant pas abandonner à leur misérable sort. Belle tâche pour l'Eglise, mais rendue bien difficile du fait que, si, dans son ensemble, elle s'est fort accrue, son clergé toutefois n'a pas augmenté en proportion. Or, le clergé a besoin de se réserver avant tout pour l'exercice de son ministère proprement sacerdotal, où personne ne peut le suppléer.

